



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.**

**Pontano, Giovanni Gioviano**

**Venetiis, 1518**

Quod die nimboso Stella nata sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13534**

ERIDANORVM

Nulla fides legi, ualeat reuerentia legum.

Culpa tua est, partes dens aget ipse suas.

Nec sat erit suxisse genas, strinxisse labellum,

Tuta nec in clauso lingua erit ore tibi.

Iam meditor, tunc colla manu, tunc unguibus ora,

Et mea tum ferro pectora iniqua petes.

Ipse tuos miser ante pedes, commissa fatebor,

Et dicam, in tua nunc iniuste iura manus.

Sed non iniicies, et me complexa fouebis,

Et tua miserebis basia multa meis.

Hinc sopor irrepet lassis, resolutaque membra

Composito ducent otia grata toro.

QVOD DIE NIMBOSO stella nata sit.

In Ira fides, periere rose, cecidere hyacinthi,  
Et uiolæ nullis est decor arboribus.

Non Zephyris est ueris honos, hac luxit Adoni,

Luce Venus miseris decolor exequijs.

Hac Charites secuere genas, unltere capillum,

Et Nymphæ moestis ingenuere modis.

Enrursum rubuere rose, nituere hyacinthi,

Et uiolæ, ipse suis est decor arboribus.

En Zephyris est ueris honos, hac fulsit in ortu

Stella die auratis concolor a' radijs.

Hac Charites pinxere genas, compere capillum,

Et Nymphæ teneros concinuere modos.

Læta Venus renouatque faces, natusque sagittas,

Et noua de manibus vulnera uterque iacit.

Hinc tamen euentus licuit spectare futuros,

Eae ades erumnis Stella serena meis.